

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

PRO QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ septimâ mensis Decembris, Anno Domini M. DCC. LXI.

M. JOANNE LE THIEULLIER, Doctore Medico & Saluberrimæ Facultatis Decano Præside.

Utrum omnibus in morbis natura coctiones moliatur?

I.

QUANTUM ad Medicinæ doctrinam promovendam conferant rectè institutæ morborum observationes, demonstrare supervacaneum; cùm nemo sit qui non videat, quidquid habet certi Medicina, deberi sedulæ Antiquorum attentioni in depingendis morborum phœnomenis, laboribusque Recentiorum qui eâdem viâ institerunt quam illi calcaverant. Ex illis ergò fontibus solis haurire debemus morborum historias, si velimus pernoscere leges quibus œconomia ani-

malis regitur, tùm cùm oppressa morbo cedit, tùm cùm victrix illum debellat. Has leges edocti varia morbi phœnomena, eventumque ipsum absque negotio prævidebimus, & adinveniemus partes quæ erunt nobis agendæ, ut naturæ opitulemur si adjuvari indigeat. Inter phœnomena morborum à primis Medicinæ cultoribus graphicè delineata, nullum est ad quod magis attendere debeat Medicus quàm ad alterationes, (coctiones dixêre Antiqui) quas ex legibus œconomiæ animalis patiuntur humores vitiati qui morbos procreant. Sanitas enim restitui non potest, nisi humores illi ad naturalem syncrasiam reducantur, aut saltem à sanis secernantur, quod persæpè natura sibimet relicta efficit; Medicus verò, licet quandoque opem illi ferre necessum habeat, nunquam tamen absque ejus præsidio efficere valet. Undè non immeritò Galenus naturam medicatricem appellat, Hippocratesque quo ipsa vergat tendendum esse, præcipit. Magni refert itaque Medico dignoscere an in omnibus, an in quibusdam tantùm morbis depravatos humores immutari, aut à sanis segregari legibus œconomiæ animalis possint.

II.

QUOTIESCUMQUE lædundur functiones, aut non nisi cum aliquâ difficultate & dolore exercentur, morbum adesse pronuntiant omnes Medici. Functiones autem lædi non possunt nisi adsit causa quæ leges, quibus illæ perficiuntur, pervertat, aut quominùs exequantur præpediat. Itaque pro vario systemate, ad quod diximus pertinere illas leges in primâ nostrâ Thesi quodlibetariâ *, variari debent phœnomena, variosque progigni morbos. Vel enim præpediuntur aut turbantur motus mechanici, tùm fluidorum corporis animalis, tùm membrorum, tùm totius corporis: vel alimenta, chylus, sanguis & varii humores mutationes quas subire debuissent, non patiuntur, formasque œconomiæ animalis minùs aptas accipiunt; vel tandem nervi sensibilitate nunc nimiâ quandoque obtusiori, quàm par sit, donantur, atque ad obeunda sua munia impares evadunt. Qui effectus modò producuntur immediatè à causâ morbificâ, modò ex turbatâ jam animali œconomiâ ortum suum ducunt: hi, morbos complicatos aut potiùs compositos & secundarios, illi verò, simplices & primarios constituunt.

* In quâ demonstravimus tria admitti debere systemata legum in animali œconomiâ.

Morbi mechanici simplices paucissimi; si quidem ad ossa fracta, aut è propriâ sede mota, ad musculos tendines-ve ruptos, dissectos, dimotos; adque vasorum compressiones per ligaturas, ossa fracta vel dislocata, aut ad ruptiones aperturas-ve à vi externâ productas revocari possunt omnes. Sed quàm numerosiores qui à vitio humorum primigenio pendent! Humores enim illi in perpetuo motu tùm locali, tùm intestino seu fermentatorio constituti, novas patiuntur continuè alterationes, novasque adipiscuntur formas: nam ex chylo producitur sanguis à quo secernuntur diversi humores, tùm

recrementitii, tùm excrementitii, & formatur lympha ipsa nutritia. Illa autem ut partibus solidioribus ortum præbuit, sic etiam illas auget & reparat. Sed cùm chylus trahat suam originem ex partibus vegetabilium mucosâ, animaliumque gelatinosâ, salivæ succique gastrici ope ex alimentorum compage extractis, cumque illis & cum utrâque bili succoque pancreatico confermentatis, sanguis verò & humores ab eâdem fermentatione continuatâ producantur, facilè percipitur quòd si illa fermentatio minùs rectè procedat; seu ex eo quòd segnior ejus motus ad principiorum corporis alimentosi separationem non sufficiat; seu ex eo quòd nova illorum principiorum *combinatio* non, uti par est, efficiatur, ut, verbi gratiâ, cùm vel nimis laxè, vel nimis arctè uniuntur illa principia, aut unita fuerunt, quæ uniri non debuerant; aut si quæ separari debuissent, non separata fuerunt. Facilè percipitur, inquam, indè emergere humores plùs minùsve vitiatos: undè innumera febrium cohors, inflammationes, cacochymiæ, cachexiæ, lues variæ uti rachitica, scrophulosa, venerea, scorbutica, rheumatica, arthritica, virus cancerosum &c. quorum omnium phœnomena sunt humorum stases, aberrationes, tumores varii, suppurationes, solidorum ipsorum erosiones, & destructiones, &c. In hanc etiam classem reponi debent morbi à venenis quibusdam producti; quippè quæ mixtionem tum solidorum, tum fluidorum corporis humani aggrediuntur; ut irritantia, inflammantia, vesicantia, caustica, coagulantia, miasmata contagiosa & putrida &c. Cum in abditis naturæ penetralibus lateat adhuc tota systematis organici * œconomia, difficilè est primarias ejus læsiones à secundariis distinguere: compertum est tamen à plurimis causis lædi posse, inter quas non ultimum locum tenent animi pathemata. Tristitia enim & mœror sensibilitatem nervorum labefactant, actionem minuunt; ira e contra intendit; terror verò lætitiaque summa, adeò quandòque hanc actionem sufflaminant ut homines quasi fulmine icti subitò corruant. Ex eodem fonte promanant affectiones quæ sequuntur vitam molliorem, magnarum urbium luxum, nimiam sensuum externorum exercitationem, vigilias diutiùs protractas, profundiores meditationes, &c. à causis etiam externis labefactari posse hoc systema probant fulminis effectus, carbonum, fodinarumque vapores, narcotica, stupefascentia & venena plurima quorum alia actionem nervorum imminuunt aut omninò supprimunt, alia ità adaugent, ut indè oriantur motus abnormes & qui ultrà vires humanas proferri videantur.

* Vide quodlibetariam nostram Thesim superius citatam.

Morbi simplices hucusque enarrati, si quando observantur, raro persistunt per aliquod tempus in suâ simplicitate; nam cùm tria systemata legum quæ admittimus in œconomiâ animali, influant alia in aliis; læso uno systemate læduntur necessariò alia,

Comperimus utique nullum exiſtere morbum mechanicum, nullam ſyſtematis organici læſionem obſervari quæ ſeriùs ociùs non producat vicium aliquod in humoribus: humores etiam depravati, vel immediatè, vel mediantibus ſuis effectibus turbant quandoque motus mechanicos, ſæpiùs etiam organicos. Sic ex vulneribus imprimiſque ex contuſionibus inflammationes, ſuppurationes, gangrænas, oſſium caries, exoſtoſes, anchyloſes, &c. Ex compreſſionibus à ligaturis, oſſibuſque fractis, aut dimotis tumores varii generis, abſceſſus & quæ ſequi ſolent, oriri videmus. Sic etiam turbato organico ſyſtemate turbatur neceſſariò humorum circuitus, turbantur etiam ſecretiones in quantum pendent à motu humorum in organo peculiari: humores itaque malè combinantur, malè depurantur, vitiatur ergò illorum ſyncraſia & novus gignitur morbus. Sic denique humores depravati pro ut ſtagnant & tumores producunt; aut pro ut irritantes & acres evadunt ſyſtema mechanicum aut organicum lædunt. Vix eſt ergò unus morbus in quo humores vel primariò vel ſecundariò non afficiantur.

§. III.

SIC enumeratis diverſis morborum generibus, ſupereſt ad enodandam quæſtionem quam ſolvendam ſuſcepimus, ut quid per coctiones intellexerint veteres, & quomodò hæ coctiones in œconomiâ animali celebrentur, exponamus. Quoad primum, ſi evolvimus Hipocratis & Galeni Libros, adinvenimus primos illos artis medicæ fundatores, omnes mutationes, quæ in corpus animale fiunt communi appellatione *alterationes* nuncupaviſſe (1): mutationes verò quæ in alimenta aut humores ex iis prognatos *coctiones* (2) dixiſſe: has coctiones definiunt *alterationem quamdam ac nutrientis in propriam qualitatem ejus quod nutritur mutationem*, (3) aut *aſſimilationem* (4) ut alibì loquitur Galenus: Triplicem hujus generis concoctionem fieri in animali ſano contendebant, primam in ventriculo, ſecundam in jecinore, tertiam tandem in venis. Sed cùm omne quod erat concoquendum aſſimilari non poſſet parti in quâ concoqueretur; quæ non fuerant aſſimilata ſegregabantur & in excrementa vertebantur: juxtâ illud Galeni: *Reliquum excrementorum genus* (jam de utraque bili & urinis locutus erat) *ſingulis animalis naſcitur particulis ex ipſo (undè aluntur) ſucco. Aliud quidem ſeu ſemicoctæ quæpiam reliquiæ quæ aſſimilari nutriendæ parti nequierunt, aliud quod tranſmittendi alimenti fuit vehiculum, nunc functum officio, humidum tenueque ſupereſt, quale nimirum ſeroſum illud jam dictum quod ex vaſis id eſt venis & arteriis in veſicam defluit.* (5) Et libro ſecundo, de *naturalibus facultatibus. Porrò id luculentiùs intelligetur exemplo. Ergò vinum mihi dulce quod non dudùm ab uvis ſit expreſſum, ferveſcens, & alteraſcens ex eo quem in ſe habet calore intellige: poſteà*

(1) Galen. de facult. natur. lib. I.
(2) *Idem. Ib.* paſſim.
(3) *Idem. Ib.* lib. II.
(4) Lib. I.
(5) In lib. I. de ſanit. tuend.

ex ejus fermentatione duo provenire excrementa, alterum levius magisque aërium, alterum gravius ac magis terreum quorum illud florem, hoc fecem arbitror vocant. Horum si alteri flavam bilem, alteri nigram assimiles minimè pecces. Undè patet quòd perspicacissimus ille naturæ & œconomiæ animalis perscrutator coctiones quas fermentationi vinosæ assimilabat, calori innato tanquam causæ efficienti tribuisse; quod etiam clariùs enunciat cùm dicit: *Alterationem verò ipsam à calido potissimùm perfici, atque idcircò tùm nutritionem tum concoctionem, tùm omnem succi generationem, jam verò & in excrementis ipsis qualitates à calido innato provenire.* (6) Omnes has concoctiones ad sanitatem pertinere ex suprà allegatis, facile est concipere; sed, si quâ de causâ accidat ut vel prorsùs non fiant, vel non, ut oportet, fiant, tunc necessariò lædi functiones & sanitas labefactari debent. Statum hunc humorum in quo vel non cocti vel malè cocti fuerunt *cruditatem* (7) nuncupârunt primi illi medicinæ antistites: quæ cruditas vinci non potest, nisi natura quod crudum est, concoquat; siquidem Hippocrates cui assentitur Galenus pronuntiet, *naturam morbos finire & judicare iisdem facultatibus quibus animalia tùm nutrit tùm auget.* (8)

(6) De natural. facult. lib. I.

(7) Galen. lib. III de sympt. caus.

(8) Galen. lib. I. de natur. facult.

Ultimo illo effato, cujus veritas non indiget probationis, ducimur ad genuinam causam effictricem concoctionis materiæ morbificæ. Hæc enim causa, cùm sit eadem ac illa quæ producit alterationes quas alimenta & humores, ut apta evadant ad corpus reparandum, patiuntur, debet necessariò revocari ad fermentationem seu ad motum quemdam intestinum, quo mediante principia ex quibus componebatur primum mixtum, à se invicem separantur, uniunturque sub novâ formâ, adeò ut indè producatur corpus planè diversum aut saltem cum primo non confundendum. Motus ille fermentatorius cùm nunquam aut ferè nunquam cesset in liquoribus tùm vegetantium, tùm animantium, debet necessariò novas novasque semper producere formas. Quid mirum ergò? Si quam ex illis formis, cùm minus aptæ sunt ad œconomiam animalem, adeò immutare valeat ut, aut humores naturalem syncrasiam deperditam de novo recuperent, aut saltem qui illam recuperare non possunt, cum videlicet nimis progressa est illorum decompositio, separentur & secernantur ab humoribus sanis. Parùm differt nostra theoria ab illâ quam proposuit Galenus in sæpè laudato tractatu de *facultatibus naturalibus.* Contendit enim alimenta *alterari* id est mutari in qualitatibus suis, agnoscitque duo instrumenta hujus alterationis *calorem*, ut patet ex suprà allatis, & *fluiditatem* ut demontrat propositio sequens: *Porrò omnimoda cruditas pituitæ intelligenda est, quæ in ea concoctione incidit, quæ in venis agitur, non autem ea quæ prima est, quæ in ventriculo perficitur: cùm si hæc defi-*

(9) De fa. cult. natur lib. II. fub finem.

ceret, ne fuccus quidem omninò effet. (9) Erravit tamen in eo quòd calorem pro caufa efficiente harum mutationum affignaverit, cùm haberi non debeat nifi pro inftrumento à quo præcipuè pendet motus fluiditatis abfquequo nulla poteft adeffe fermentatio. Sed quàm longè à vero recedit cùm actionem illius caloris æquiparat ignibus admotis lebeti in quo elixantur carnes; uti videre eft in lib. III. Tractatus laudati. Phœnomena digeftionis enarrans fic fcribit: *Quòd fi vifcera quæ illi* (ventriculo) *adjacent, tanquam magno lebeti plures ignis foci pariter eftimata fint, à dextris quidem jecur, à finiftris lien, supernè cor & tranfverfum feptum & elevatum & affiduè motum, his etiam amplius omentum quod prædicta tegit, ingentem quamdam ciborum, qui in ventriculum funt devorati, alterationem fieri credas.*

IV.

EX doctrinâ quàm tùm circa morbos, tùm circa coctiones in fecundo & tertio paragraphis expofuimus, neceffariò eruitur nullas coctiones in morbis tùm mechanicis, tùm organicis fimplicibus naturam moliri poffe, cùm hi morbi nullum fupponant vitium in humoribus quod fermentatione corrigi poffit. Dimoto enim offe, fi in priftino ftatu reftituatur, ceffat illicò læfio functionis quam exercebat. Sed cùm hi morbi ferè femper & neceffariò humorum ftafibus aut aberrationibus anfam præbeant, adeò ut vix ullus fit morbus in quo vel primariò vel fecundariò non afficiantur humores; ad hoc fe vertit quæftio propofita; utrum in omnibus morbis in quibus humores peccant, natura humores illos peccantes ad priftinam fuam fyncrafiam coctionibus quas molitur revocare tentet? Cujus novæ quæftionis eò difficilior eft enodatio, quòd vera fanguinis & humorum mixtio prorsùs ignota nobis lateat: undè neceffariò ignoramus quamnam formam peculiarem acceperint quotiescumque à naturali fuâ fyncrafia receffferunt: attamen ex fermentationum phœnomenis conjicere licet humores vitiatos peccare, 1°. Vel in eò quod principia e quibus conflari debebant, non fuerant unita uti decebat; 2°. vel quia nimis arcta aut nimis laxa eft illorum unio; 3°. vel quia fuerunt unita quæ non debebant uniri, aut quæ uniri debebant feparata remansêre; 4°. vel tandem quia illa ipfamet principia decompofitionem paffa funt.

Primi casûs exempla habemus in morbis fic dictis putridis qui à pravis digeftionibus oriuntur, exhaufto enim, emefi aut catharfi, fonte plerùmque in ventriculo aut duodeno fito, coquitur materia morbifica & folvitur morbus; aut fi debilior œconomia animalis vincere ejus cruditatem non poteft, ab illa opprimitur, cùm fcilicet putrefcens materies illa organorum vitalium mixtionem aggreditur, & gangrenam univerfalem quandòque producit. Ad fecundum referri

possunt varia inflammationum genera, pendent enim potiùs à nimis laxa principiorum sanguinis & præcipuè partis rubræ inflammabilis & glutinosæ albæ coadunatione, quàm a transitu sanguinis in vasis sibi non dicatis, ut demonstrant echimoses quæ persæpè absque inflammatione & suppuratione resolvuntur. Non negamus tamen sanguinem sic aberrantem à viâ suâ inflammari plerùmque; sed contendimus illud non evenire propterea quòd vasa quæ permeare non debuit, prætergredi non possit; sed quia morâ quam ibi patitur, laxatur ejus compages parsque inflammabilis evoluta varios effectus producit quos in inflammationibus observamus. Hi autem effectus varii sunt prout natura materiam illam subigere valet, aut in pus vertere, aut ab illâ victa, gangrenâ obruitur. Ad eundem etiam casum revocari debent omnes illæ lymphæ concretiones quæ tumores glandularum & imprimis skirrosos constituunt, sed sub alio titulo; siquidem pendeant à nimis arctâ coadunatione molecularum lympham constituentium, seu illa coadunatio pendeat à viru quodam sive non. Possunt etiam referri ad tertium in quantùm lympha sic concreta plerùmque destituitur parte serosâ à quâ vehebatur. Eò difficilior autem est hujus lymphæ concoctio, quò magis vehiculo illo orbatur; adeò ut, cùm ad skirrosam duritiem pervenerit, concoqui ampliùs non possit; fluiditas enim, uti diximus in tertio paragrapho, est necessariò prærequisita ad concoctionem, sicut ad fermentationem quamcumque. Tandem quarti casùs exempla præbent pestis, gangrena aut potiùs sphacelus, febris hecticæ & scorbuti ultimus gradus: in illis enim morbis mixtio principiorum ipsorummet tùm sanguinis, tùm humorum, tùm etiam partium solidarum depravata est; non mirum ergo si restitui non possint humores & si, quotiescumque hæc depravatio aliquantùm processerit, mors necessariò sequatur. Ultrà limites præscriptos vagaremus, si vellemus recensere omnia morborum genera, sed præterquàm quod impossibile nobis esset assignare in quo peccet mixtio humorum vitiatorum, exempla allata ad stabiliendam nostram conclusionem, sufficere videntur.

V.

NON immorabimur in refellendis eis qui negant humores vitiatos concoqui posse quibusdam in morbis, cùm nullus sit sanæ mentis Medicus qui de illâ veritate unquam dubitaverit. Sed cùm sint plurimi non infimæ notæ viri qui hanc de coctionibus doctrinam parvi faciant, quique contendant cum quibusdam Chymicis & imprimis cum Helmontio posse tolli morbos absque coctione, medicamento quod causam morbi auferat; aut venæ sectionibus catharticisve vacuari posse materiam morbificam, ut asserit Sydenhamus, cap. de *pleuritide*, ubi legitur *mediante venæ sectione morbifica materia penes meum est arbitrium, & orificium à phlebotomo incisum tracheæ vices subire cogitur.* Non inutile erit rem paulò attentius perpendere. Fate-

mur quidem dari aliquot remedia ſpecifica, licet pauciſſima ſint & ad tria reducenda ut Hydrargirus in lue venereâ, cortex peruvianus in febribus intermittentibus & alkali volatile in morſu viperæ : ſed tantùm abeſt ut illa remedia coctionum doctrinam evertant, ut è contrà confirment. Primùm enim coctionis, quam numquam natura molitur in hoc morbo, vices gerit liquando lympham & vacuando viroſum humorem. Cortex verò peruvianus ne dum coctioni obſit, eam adjuvat, tonum fibrarum excitando aut forſan motus irregulares ſyſtematis organici compeſcendo ſi verum ſit, uti contendit quidam è recentioribus Medicis, quòd febres intermittentes tutiùs ſanet ſi miſceatur cum opiaticis.* Cùm morſus viperæ afficiat primariò ſyſtema organicum, quid mirum ſi alkali volatile labefactatum hoc ſyſtema reſtituat. Quoad venæ ſectiones & remedia vacuantia; coctiones favent ſi adhibeantur, uti decet, ad minuendam febrim quando nimis intenditur, & ad materiam turgentem auferendam, quo fit ut morbus quandòque, licet rarò, reſolutione ſolvatur, quod potuit Sydenhamo impoſuiſſe; aut ſaltem illas non præpediunt niſi his mediis abutatur Medicus, ſed tunc incidit in Scyllam, cùm velit vitare Charybdim, nam æger plerumque cachecticus fit & ulcerato pulmone extinguitur.

* *Vid.* Diarium Med. Tom. XI. page 312.

Jam diximus naturam coctiones moliri non poſſe in morbis ſimplicibus tùm mechanicis tùm organicis; patet inſuper humores vehiculo ſuo orbatos aut quorum principia mixtionem ſuam amiſerunt concoqui non poſſe ; undè concludere licet :

Ergò non omnibus in morbis natura coctiones molitur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Achilles Guillelmus le Begue de Preſle.	*M. Stephanus d'Huaume.*	*M. Franciſcus - David Heriſſant, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius, & utriuſque Pharmaciæ Profeſſor.*
M. Cæſar Coſte.	*M. Joſephus Duſſans.*	*M. Carolus - Franciſcus Boutigny des Preaux.*
M. Petrus-Joannes-Claudius Mauduyt de la Varenne.	*M. Joannes - Armandus Rouſſin de Montabourg.*	*M. Petrus Lalouette.*

Proponebat Pariſiis AUGUSTINUS ROUX, Burdigalus, Regiæ Societatis rei agrariæ Pariſienſis Regiæque Scientiarum, Artium, & Humaniorum Litterarum Burdegalenſis Socius, in Burdigalenſi Univerſitate Doctor Medicus, necnon ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1761. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1761.